

atque probant rationes, et auctoritates juris n. 521. adductæ. Siquidem *c. Ex parte. de Capell. monach.* et *c. Nonnulli de Rescript.* et *c. Eam te, de Ætat. et qualitat. præficiend.* aperte fit mentio de litteris apostolicis, hoc est, rescriptis; non item de constitutionibus vim legis universalis habentibus.

528. *Disparitas inter rescripta, et constitutiones pontificias quoad hoc.* — Accedit ratio, nam rescripta diriguntur ad particulares personas, et directe tendunt in favorem privatorum principi supplicantium. Leges autem, et constitutiones, sicut et decreta concilii generalis, feruntur pro tota communitate. Insuper constitutiones, et decreta conciliaria, cum summa maturitate, et prævio magno consilio promulgantur: non sic semper rescripta, ob horum multitudinem; quinimo hæc propter importunitatem petentium quandoque contra jus obtinentur. Et hinc non mirum, quod constitutiones, et decreta conciliaria posteriora derogent prioribus, etiam non facta horum derogatione, cap. 1. *de Constitut.* in 6, non item rescripta, nisi faciant expressam de concilio generali mentionem, cit. *c. Ex parte. de Capell. monach.* cum concordantiis. Confirmatur, quia, licet summo Pontifici non desit potestas derogandi ex causa decretis conciliaribus, vel in hisce dispensandi absque speciali horum mentione, ut est certum; nihilominus censetur deesse voluntas, nisi specialis fiat mentio concilii, vel explicita, vel saltem implicita, quæ explicitæ æquipollet, ut ita omnino certa reddatur Pontificis voluntas, quæ alias præsumenda non est, d. c. *Ex parte*, ac notat card. de Luca cit. n. 12, qui tamen, n. 14, recte subjungit istam doctrinam non procedere quoad concilium Tridentinum. Unde ad hujus meliorem intelligentiam sequens propositio:

529. *Pro derogatione concilii Tridentini sufficit clausula generalis, absque speciali ejus mentione: et cur?* — Quæritur II. Utrum ad derogandum decretis concilii Tridentini requiratur specialis ejus mentio? Resp. Quamvis nonnulli doctores, supra n. 519 relati, velint, si concilium generale sit novissimum, ad ejus derogationem non sufficere clausulam illam generalem, « Non obstante quacumque lege, etiam concilii generalis, » sed specialem ejus derogationem faciendam esse: hoc tamen locum non habet in concilio Tridentino, sed istud venit sub generalibus derogationibus; ac proinde pro deroga-

tione decretorum sacri concilii Tridentini sufficit clausula illa generalis, « Non obstantibus constitutionibus apostolicis, » vel alia hujusmodi, neque opus est speciali ejus mentione. Ita Barbosa, cit. allegat. 33, n. 24, §. *Pro derogatione*, ubi pro hac sententia allegat decisionem Rotæ in causa S. Angeli Pensionis, 16 decembris 1594, coram card. Pamphilio Sen. et aliam in Bononiensi prioratus, 9 junii 1606, coram patriarcha Manzanedo; Gonzalez ad reg. 8. Cancell. Gloss. 6, n. 120; Martham, Bonacinam, et plures alios, et novissime sequitur card. de Luca, cit. discurs. 1, n. 14 et discurs. 46, *de Beneficiis*, n. 13. Ratio est, tum quia in ipsomet concilio Tridentino, sess. 25, cap. XXI, *de Reform.* fit expressa in omnibus præservatio Sedis apostolicæ, ibi: « Postremo sancta synodus omnia, et singula, quæ de morum reformatione, atque ecclesiastica disciplina in hoc sacro concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper auctoritas Sedis apostolicæ et sit, et esse intelligatur. » Hæc ibi. Tum quia, ut inquit card. de Luca, l. proxime cit. ita statutum est in apostolica constitutione Pii IV, ejus confirmatoria, et liquet ex recepto sensu Curie.

530. *Stylus curiæ Romanæ, qualis circa hoc.* — Et hinc communis est ille stylus curiæ Romanæ, apponendi in concessionibus privilegiorum, vel horum confirmationibus clausulam illam, « Quatenus decretis concilii Tridentini non adversantur: » ne alioquin (tacendo nunc alios dictæ clausulæ effectus) sub generali clausula, « Non obstantibus, » etc. quæ ut plurimum in fine litterarum apostolicarum apponi consuevit, derogatum foret decretis ejusdem concilii Tridentini. Barbosa, clausula 124, n. 6, post Sigismundum a Bononia, *de Elect.* dub. 2, num. 2.

531. *Nec solet, nec oportet specialiter derogare concilio Tridentino.* — Addit Fagnanus in c. *Nonnulla*, num. 86, *de Concess. præbend.* quod propter memoratam expressam præservationem auctoritatis Sedis apostolicæ, concilio Tridentino non soleat, neque oporteat specialiter derogare; sed satis sit, ut Papa disponat contrarium ejus, quod concilium disposuit, dummodo supplicatio manu Papæ signata fuerit: prout expresse declaravit beatus Pius V, in suo motu proprio die 23 decemb. 1570, emanato, quem de verbo ad verbum refert Nicol. Garcias, tom. I, *de Beneficiis*, part. IV, cap. v, num. 32 et 33.

ac sæpius censuit sac. Congregatio concilii Tridentini interpretum, fuitque declaratum in Cancellaria apostolica per abbreviatores, et decidit Rota in una Pensionis S. Angeli. 16 decemb. 1594, coram card. Pamphilio. Hoc ipsum docet, et fusius, adductis diversis declarationibus cardinalium, declarat Hyacinthus Donatus. tom. I. *Praxis rerum regularium*, tract. XIV. q. 4.

532. *Solvitur instantia. Litteræ in forma brevis sunt ejusdem auctoritatis ac rescripta signaturæ.* — Dices: Litteræ in formâ brevis annulo Piscatoris signatæ non minoris sunt efficaciam, et auctoritatis, quam rescripta signaturæ Romani Pontificis ejus manu propria subscripta, ut loquitur Gregorius XIII in Bulla, quæ incipit: « Ad Romani Pontificis » (ac refertur tom. II *Bullarii Romani*, constit. 19. *de Pontif.*) § 2. Ergo, si per has derogatur decretis concilii Tridentini, pariter huic derogatur per litteras in forma brevis emanatas, licet non fiat specialis mentio ipsius: quod est contra c. *Ex parte. 3. de Capell. monach.* cum concordantiis n. 521 allegatis. Resp. concedendo totum. Unde, ne per hujusmodi litteras dicto concilio Tridentino aliquatenus derogetur, solet in illis, dum dantur ad concessionem, vel confirmationem privilegiorum, inseri clausula illa: « Quatenus decretis concilii Tridentini non adversantur, » aut alia consimilis, ut paulo superior jam dictum est. Neque obstat d. c. *Ex parte*, cum similibus. Nam istud capitulum patitur limitationem respectu concilii Tridentini, ob allegatam expressam præservationem auctoritatis Sedis apostolicæ in eodem concilio factam.

§ XXI.

DE REVOCATIONE STATUTORUM AB INFERIORIBUS JURATORUM, VEL A SUPERIORE CONFIRMATORUM.

533. *Capitula, et communitates possunt tollere statuta a se condita.* — Quæritur I. Utrum capitula, et aliæ communitates possint tollere, et revocare statuta a capitularibus jurata? Et notanter hoc ultimum additur: nam secluso juramento, ac confirmatione superioris (de qua proxime) indubitatum est, quod capitula et communitates illæ, quibus competit facultas condendi statuta, denuo justis de causis hæc eadem tollere, atque revocare valeant, dummodo inde nullum

tertio præjudicium generetur. Hæc enim duo, videlicet potestas condendi, et tollendi statuta, pari passu ambulant: et omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur, » cap. 1. *de Reg. juris.*

534. *Quid, si hæc sint jurata?* — Verum accedente juramento, quo canonici, vel alii de communitate jurarunt servare statuta, dubitari potest; quia tunc ob stare videtur religio juramenti, quod semper observandum est, quando ejus observatio non vergit in æternæ salutis dispendium, cap. *Si vero*. 8, *de Jurejurand.* et c. *Quamvis*. 2, *de Pactis*, in 6. Unde sub distinctione procedendo,

535. *Possunt tollere, quæ sunt jurata a singulis.* — Resp. Possunt canonici, et alii de communitate justis de causis tollere statutum a se juratum, dummodo non juraverint observare contenta in statuto. Ita Abbas Panormit. in c. *Cum accessissent*, num. 4, §. *Aut numerus est juratus.* et Felinus, ibid. n. 11 et 12. h. t.; Fagnanus in c. *Dilecto*, n. 20 et 21. *de Præbend.* et alii. Prior pars probatur ex eo, quia juramentum est personale singulorum, v.g., canonicorum, jurantium quod velint servare statuta capituli, quæ extant; non autem, quod nolint illa unquam tollere: hoc enim non pertinet ad singulos sed ad totam communitatem, sive capitulum: ergo non obstante tali juramento singulorum canonicorum, de observatione statutorum extantium, manet communitati, sive capitulo, integra sua facultas revocandi seu tollendi statuta, si novis emergentibus de causis id expedire judicaverint. Atqui sublato principali, sive statuto per capitulum collegialiter congregatum, cessat etiam hac ex parte juramentum singulorum canonicorum, velut quid accessorium; cum hi singillatim solum juraverint in observantiam statutorum extantium.

536. *Atque his collegialiter contravenire.* — Et hoc adeo verum est, ut licet capitulum non prius revocaret statutum, sed simpliciter contraveniret, adhuc canonici collegialiter contravenientes non incurrerent perjurium. Ratio est, quia præsumuntur id facere animo tollendi statutum, atque istud ipso facto velle revocare: nemo enim præsumitur delinquere, nec immemor esse propriæ salutis. Arg. can. 1. dist. 41. Quinimo dubia in meliorem partem interpretari debent c. *Estote. de Reg. juris.* cum similibus. Felinus, cit. numer. 11. allegans plures alios, et sequitur Fagnanus, ubi supra n. 20

537. *Dummodo non juraverint observare contenta in statutis.* — Altera pars est Abbatis loc. cit. num. 4, et Felini eod. n. 11. E ratio est clara, quia jurans observare contenta in statuto, non simpliciter obligat se ad observantiam statuti extantis (ut fit in priori casu) sed ad observantiam contentorum ejus; ergo non potest contravenire absque perjurio, nisi auctoritate Papæ fuerit dispensatus ab obligatione juramenti. Si tamen contraveniat, valet quod gestum est: nam actus gestus contra juramentum regulariter tenet, licet attentans sit perjurus. Abbas, in c. *Dilecto*, 23, n. 17, de *Præbend.* post Jo. Andream, in reg. *Quod semel de Reg. juris* in 6.

538. *Solvitur ratio dubitandi.* — Et per ista patet ad rationem dubitandi, in 534, allatam. Siquidem religio juramenti nullatenus obstat in priori casu, ubi juratur tantum observantia statuti extantis: bene tamen in posteriori, ubi juratur observantia contenti in statuto.

539. *Cautete pro perpetuatione statutorum.* — Unde Abbas in cit. cap. *Dilecto*, num. fin. de *Præbend.* ponit cautelam pro perpetuatione statuti adhibendam, ut singuli jurent contenta in statuto, non habita ratione de statuto: vel, ut jurent collegialiter, sive ut universitas quædam, quod nec collegialiter velint contravenire. Sic enim universitas illa, etiam ut collegialiter congregata, statutum ejusmodi revocare non poterit; nisi ob bonum commune, ac favorem publicum. ut limitat Abbas, ibidem, et Sanchez, lib. III, in *Decalog.* cap. XV, num. 5, cum aliis. Hic enim posterior casus videtur exceptus in omni juramento, ne id sit vinculum iniquitatis, ac impietatis erga totam communitatem.

540. *Statutum a superiore confirmatum, an possit tolli ab inferioribus statuentibus?* — Quæritur II. Utrum statuta per superiorem, v. g. summum Pontificem confirmata, possint ab inferioribus statuentibus revocari? Ratio dubitandi, ac sententiam negativam tenendi est, quia tale statutum ab inferioribus conditum, sed a superiore, v. g. Papa confirmatum, hoc ipso factum est superioris, ac statutum papale; juxta illud: « Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur. » L. 1. § *Sed neque* c. de *Veteri jure enucl.* et c. *Si apostolice*. 22. de *Præbend.* in 6.

541. *Referuntur sententia aliorum.* — Resp. I. In resolutione hujus questionis variant doctores. Et quidem Decius in c. *Cum accessissent*, num. 18, h. t. censet esse distinguen-

dam, an statuta inferiorum sint « contra jus commune, » ac proinde respectu ipsorum confirmatio superioris sit necessaria: vel ejusmodi statuta sint « præter jus commune, » sicque confirmatio superioris respectu illorum sit tantum accidentaliter, et corroborativa. Et quidem statuta posterioris generis posse ab inferioribus statuentibus revocari, non obstante superioris confirmatione, concedit ipsemet Decius: estque hæc certa doctorum sententia, eo quod talia statuta substantialiter sint inferiorum, qui sicut absque superioris auctoritate ita statuere potuerunt, sic et revocare statuta sine ejusdem auctoritate. Porro statuta prioris generis vult Decius non posse revocari per inferiores absque superioris auctoritate; eo quod ab hujus confirmatione totam suam substantiam et valorem acceperint, sicque sint lex et statutum superioris, cui inferior derogare non potest.

542. *Referuntur sententia aliorum.* — Alii distinguunt: quia aut statuta inferiorum confirmantur a superiore in forma communi; et sic utique ab inferioribus statuentibus revocari possunt, non obstante superioris confirmatione, eo quod confirmatio in forma communi nihil novi juris tribuat, arg. c. *Cum dilecta*. 4, § *Nos igitur*, § *Nolentes de Confirmat. util.* et c. *Ex parte, tua* 18, de *Privileg.* aut sunt confirmata ex certa scientia: et sic negant posse ea ab inferioribus statuentibus revocari eo quod princeps confirmans inferiorum statuta ex certa scientia, censeatur idemmet statuere, sicque statuta illa facere sua, arg. c. *Si apostolice*. 22, juncta Glossa § *Confirmamus*, de *Præbend.* in 6; Martha, de *Jurisdictione*. 4. p. cent. 1, cas. 99.

543. *Ac reselluntur.* — Verum hæc utraque sententia gravem patitur instantiam ex c. *Cum accessissent*. 8, h. t. ubi statutum de supprimenda dignitate primiceriatus in ecclesia cathedrali Tullensi contra jus commune factum, ac postmodum auctoritate Sedis apostolicæ confirmatum, adhuc per capitulum tolli, atque inconsulto Papa revocari potuisse legitur illis verbis: « Nisi postea dicti canonici contraverint, aliquem videlicet in primicerium eligendo. » Accedit textus in c. *Pro illorum*. 22, de *Præbend.* ubi canonici, habentes a Papa privilegium, sive indulgentiam super certo numero canonicorum, possunt sponte contravenire, recipiendo aliquem super numerum. Item l. *Omnium c. de Testament.*, ubi testamentum confirmatum a

principe, potest a solo testatore revocari. Unde melius distinguendo,

544. *Potest tale statutum tolli a statuentibus, si concernit principaliter favorem ipsorum: secus, si concernit bonum commune, favorem Ecclesie, vel aliorum. Exemplificatur hoc in statutis religionum per Papam approbatus.* — Resp. II. Vel statutum inferiorum, a Papa confirmatum, principaliter respicit favorem privatum, ac solam utilitatem statuentium, et potest a statuentibus libere revocari absque auctoritate superioris: vel ejusmodi statutum concernit principaliter bonum publicum, aut favorem Ecclesie, vel aliorum, quam statuentium, et tunc nequit amplius revocari a statuentibus. Ita Abbas, in c. *Cum accessissent*. n. 2, et ibi Felinus, n. 4, et Fagnanus, num. 12, h. t.; Engel, eod. tit. n. 72.; Sanchez, lib. III. in *Decalog.* cap. xv. n. 6, cum aliis. Hyacinth. Donatus, tom. I. *Praxis rerum regularium*, p. 1, tract. XIII. quæst. 6. et quæst. 20, numer. 16, ubi proinde cum Miranda, tom. II *Manual. prælat.* quæst. 29, art. 8, infert, quod statuta religionum auctoritate Papæ confirmata, non possint revocari ab ipsis religiosiis, etiam si sint capitulariter unili, quando ea respiciunt commune bonum religionis: secus, si principaliter concernant favorem ipsorum statuentium.

545. *Et probatur prior pars. Quilibet potest renuntiare suo juri, et favori privato, non obstante confirmatione principis.* — Ratio prioris partis est, quia quilibet potest renuntiare juri suo, atque favori privato, c. *Si diligenti. de Foro compet.* cum similibus: sive dein favor iste sibi competat per statutum contra jus commune factum, et a principe, puta Papa confirmatum, d. c. *Cum accessissent*. h. t. sive præter jus, ut cit. c. *Pro illorum, de Præbend.* et l. *Omnium c. de Testamentis*. Nam generale est, quod quis renuntiare possit juri, ac favori suo privato: et auctoritas, seu confirmatio principis tunc obtinet vim privilegii dumtaxat, cui quis renuntiare potest.

546. *Quamvis hæc sit facta cum decreto irritante.* — Atque hoc adeo verum est, ut procedat, licet statutum per superiorem confirmetur sub clausula decreti irritantis, quidquid in contrarium actum sit, prout multis aliis allegatis, docet Covarruvias, part. II. de *Pactis*, §. 2, numer. 13. Quamvis non desint oppositum tenentes, quos pariter allegat, afferendo, et solvendo rationes ipsorum: idemque tradit Fagnanus, in cit. c. *Cum accessissent*. num. 21. et seqq. h. t.

547. *Afferitur ratio posterioris partis conclusionis.* — Altera pars conclusionis, num. 544, data, probatur ex eo, quia, licet quilibet possit renuntiare favori suo privato, ut dictum est, nihilominus favori publico, puta cultum divinum, utilitatem Ecclesie, vel bonum reipublicæ concernenti, nemo potest renuntiare, cit. cap. *Si diligenti. de Foro compet.* junctis concordantiis ibidem per Glossam. §. *Pacto privatorum*, allegatis. Unde statuta capituli confirmata per Papam, non possunt amplius tolli per canonicos, quatenus concernunt favorem publicum, sive cultum divinum, vel utilitatem, seu honorem ipsius Ecclesie, aut commodum aliorum. Ratio est, quia in tali casu confirmatio superioris, ut puta Papæ, non habet meram rationem privilegii, sed cujusdam mandati, sive decreti, ac ipse superior confirmandus censetur statutum facere suum, d. c. *Si apostolice, de Præbend.* in 6. et l. 1. c. *de Vet. jure enucl.* Superioris enim potissimum interest, jura tueri, cultum divinum promoveri, et bono communi prospicere. Unde postea succedit regula c. *Inferior*. dist. 21. et Clem. *Ne Romani, de Elect.* videlicet, « Lex superioris per inferiorem tolli non potest. » Abbas, cit. c. *Cum accessissent*. num. 2. h. t. citans Innocentium in c. *Accedentibus, de Privileg.*; Felinus cit. n. 4; Sanchez, Miranda, ubi supra, et alii.

548. *Quando ex statuto est jus alteri quæsitum, nequit illud absque hujus consensu per statuentes tolli.* — Resp. III. Insuper, quando ex statuto per superiorem confirmato, imo et alias legitime facto, est jus alteri quæsitum, tunc illud non potest sine hujus consensu per statuentes tolli. Ratio est, quia « mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum, » juxta reg. 33. jur. in 6, cum similibus. Accedit, quod per inferiores principes nullo modo possit tolli jus quæsitum tertio, l. ult. ff. de *Pactis*, cum similibus. Card. Tuschus, litt. I. conclus. 624, nu. 3. et alii; id enim non careret injuria, atque injustitia proximo illata.

549. *Declaratur hoc exemplo.* — Quadrat huc exemplum, quod ponit Bartolus, in l. *Omnes populi*. §. *Circa secundum*, ff. de *Justit. et jur.* Quia, quando statuto cavetur, ut qui venit ad habitandum in tali castro, habeat immunitatem perpetuo, et quidam venerunt; si nunc civitas cupiat revocare statutum, et velit, ne illi gaudeant immunitate; certe in præjudicium eorum, qui jam venerunt, non

potest revocari : secus in iis, qui nondum venerunt. Idem ergo dicendum in aliis similibus.

TITULUS III.

De Rescriptis.

1. *Ratio ordinis. Convenientia, et differentia inter leges et rescripta.* — Post constitutiones recte agitur de rescriptis, propter magnam horum cum constitutionibus affinitatem : siquidem et rescripta connumerantur inter placita principum, quæ legis habent vigorem, juxta illud l. 1. ff. de *Constitut. princip.* « Quod principi placuit, legis habet vigorem : » sumendo videlicet legem large, seu pro quacumque principis voluntate. Alioquin vero inter leges, et rescripta, sunt plures notabiles differentie : nam lex proprie accepta fertur pro tota communitate, et communi civium utilitate, can. *Erit autem*, dist. 4. et l. 1. ff. de *Legib.* Rescripta vero directe dantur in favorem privatorum, qui ea a principe, ut puta a summo Pontifice, mediante prævia supplicatione, consultatione, aut relatione impetrarunt. Insuper ad obligationem legis requiritur solemnitas ejusdem publicatio : secus est in rescriptis, quæ tunc dicuntur publicari, quando judici presentantur. Ant. Burgos, *Repetit. in Rubric. de Rescriptis*, numer. 54. Tacentur aliæ differentie, de quibus in progressu : unde non immerito compiler juris canonici pontificales rubricas *De Constitutionibus*, et *de Rescriptis*. Et de his nunc agendo, sit :

§ I.

DE NATURA, ET DIVISIONE RESCRIPTORUM.

2. *Rescriptum, quid?* — Quæritur I. Quid sit rescriptum, quibusque partibus constet? Resp. I. *Rescriptum* in proposito esse datum a principe responsum in scriptis ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem. Ita Abbas, ad rubric. h. t. num. 2, Hostiensis, et alii. Licet enim vi nominis *Rescriptum* idem significare videatur, ac *Responsum scriptum*, quod nimirum rescribitur absenti (nam cum absente loquitur, qui scribit epistolam, et mittit nuntium), nihilominus impræsentiarum per rescriptum intelligitur

solummodo id genus epistolarum, quibus princeps, ac præsertim summus Pontifex supplicantibus, referentibus, aut sese consentibus respondere solet. Unde in diversis capitulis juris canonici, utpote quod secundum magnam sui partem ex decretalibus epistolis, seu rescriptis summorum Pontificum compilatum fuit, passim occurrunt hujusmodi initia : « Consuluisti, consuluit, insinuante, insinuatum est, significasti, postulasti, » et hujusmodi.

3. *Rescripti nomen, quibus conveniat?* — Dicitur primo in allata rescripti definitione, « datum a principe responsum. » Ubi per principem intelligitur Romanus Pontifex, utpote Ecclesiæ universalis pastor, Christianique in terris vicarius; vel (loquendo de rescriptis principum sæcularium,) imperator, reges, alique principes superiores in terris non recognoscentes; nam et horum decretalibus epistolis, *Rescripti* nomen attribuitur; ut l. 1. ff. de *Appellat.*; ibi : « Quæsitum est, an adversus rescriptum principis provocari possit, » et alibi. Porro litteræ inferiorum, v. g. episcoporum, vix dicuntur rescripta, sed magis usitate appellantur litteræ, v. g. absolutionis, excommunicationis, et hujusmodi, ut fit c. *Olim*, 25, h. t. ibi : « Ipsi absolutionis litteras concedentes. »

4. *Absolute prolatum in ecclesiasticis, accipitur pro rescripto papali.* — Unde rescriptum in ecclesiasticis simpliciter, et absolute prolatum, accipitur pro rescripto papali; quamvis et hoc non raro nomine *Litterarum apostolicarum* indiget, ut c. *Nonnulli*, 28, h. t. et c. *Ex parte*, 3, de *Capell. monach.* et alibi.

5. *Vivæ vocis oraculum, quid?* — Dicitur secundo, « in scriptis. » Per hanc siquidem particulam differt rescriptum a vivæ vocis oraculo; quod est responsum principis ore tenus datum, et non in scriptis. Nam vivæ vocis oraculum nihil aliud est, quam concessio, seu gratia a principe cuiquam facta ore tenus, sine scriptura; sive dein fiat motu proprio principis, sive ad instantiam partis. Hyacinthus Donatus, tom. I. *Praxis rerum regular.*, tract. XV, n. 1 et alii.

6. *Quibus de causis rescripta concedi soleant?* — Dicitur ulterius, « ad alterius consultationem, relationem, vel supplicationem. » Nam hisce tribus de causis præcipue rescripta pontificia concedi solent : quamvis etiam, si motu proprio Papa cuiquam personæ, aut communitati particulari aliquid

mandet, vel indulgeat, quod facit jus speciale in negotiis, vel personis, pro quibus conceditur, recte illud inter rescripta connumeretur. Hostiensis in *Samma* v. t. numer. 1, id probans ex l. 2. c. de *Legib.* et c. *Constitutus*, de *Concess. præbend.* Siquidem.

7. *Motus proprius, quid? Recte connumeratur inter rescripta.* — *Motus proprius*, dicitur decretalis epistola summi Pontificis, in qua hæc clausula *motu proprio* inserta habetur, licet forsitan impetrans pro tali rescripto supplicaverit, c. *Si motu*, 23, de *Præbend.* in 6. et amplius dicitur infra, n. 202.

8. *Rescripta tribus partibus constant, narratione, supplicatione et conclusione.* — Resp. II. Rescripta tribus partibus constant, videlicet narratione, supplicatione, et conclusione. Ita Baldus in c. *Super litteris*, num. 14, h. t.; Engel., eod. n. 6. et alii. Et quidem priores duæ, videlicet pars narrativa, et supplicatoria, respiciunt impetrantem; tertia vero pars, nempe conclusoria, respicit principem rescribentem, eo quod ipse auditis motivis, et precibus supplicantis, concludat, sive decernat, quid circa tale negotium, sive personam sit faciendum, vel observandum.

9. *Rescriptum an habeat vim legis?* — Quæritur II. An rescriptum habeat vim legis? Resp. I. Rescriptum habet vim legis, sive constitutionis inter partes. Ita Felinus, ad rubric. h. t. n. 1. post Joan. Andream, et alii; ac patet ex l. 1. ff. de *Constitut. princip.* et §. *Sed et quod instit. de jure nat. gent. civil.* ibi : « Quod principi placuit, legis habet vigorem. »

10. *Facit jus inter partes. Non tamen habet vim legis universalis.* — Additur notanter, « inter partes, » tum quia rescriptum concessum uni parti, fit commune alteri parti, eique pariter prodesse potest; prout fit cap. II. de *Mutuis petit.* ubi rescriptum concessum actori, ut sibi justitia fiat appellatione remota, etiam prodest reo actorem reconvenienti : cui simile quid tradit Glossa in *Clement. Sape contingit*. §. *Si quid petere*, de *Verb. signif.*; tum quia rescripta, quæ in favorem privatorum impetrantur, licet jus inter partes faciant, nihilominus vim legis universalis non obtinent; eo quod non ferantur pro tota communitate, neque solemniter publicentur, prout requiritur ad rationem legis propriæ dictæ.

11. *Solvuntur jura in contrarium allegata.*

— Nec obstat textus cit. l. 1. de *Constitut. princip.* et §. *Sed et quod instit. de jure nat. gent. civil.* ubi dicitur : « Quodcumque ergo Imperator per epistolam constituit, vel cognoscens decrevit, vel edicto præcepit, legem esse constat. » Nam hic *Lex* accipitur large pro quocumque principis placito, quod legis vigorem habere censetur : non autem pro jure communi, et universaliter omnes obligante.

12. *Rescripta corpori juris inserta, unde habeant vim legis universalis?* — Dices. Corpus juris tam canonici, quam civilis, magna ex parte constat ex rescriptis Pontificum, vel Imperatorum, datis ad particulares personas, capitula, vel communitates; ut patet ex inscriptionibus singulorum capitulorum, et legum; ergo etiam rescripta habent vim legis communis. Resp. neg. conseq. Nam, quod ejusmodi rescripta constituent jus universale, vimque legis communis habeant, id accidit non ex primæva ipsorum origine, sed quia postmodum publica auctoritate in corpus juris communis relata, et veluti leges communes solemniter edita fuerunt.

13. *Rescripta nonnunquam faciunt jus commune in consequentiam; et quando?* — Fatendum tamen, quod nonnunquam rescripta in consequentiam jus commune faciant : unde data conclusio quasdam patitur limitationes, quas allegat Felinus, loc. cit. num. 1. Imprimis enim, si princeps super dubio legis articulo per privatum interrogatus, suam de ejusdem vero intellectu rescribit interpretationem, et sententiam, tunc tale rescriptum per consequentiam facit jus generale quoad omnes. Ratio est, quia ejusmodi interpretatio censetur legi ab initio jam infuisse, Auth. de *Raptis mulieribus*, §. fin. collat. 9. Simulque, quod omnis legum interpretatio, sive in precibus, sive in judiciis, sive alio quocumque modo per Imperatorem, vel alium supremum principem facta, rata et indubitata haberi debeat, definitum habetur L. ult. c. de *Legib.*

14. *Rescripta nonnunquam faciunt jus commune in consequentiam; et quando?* — Deinde, si Papa delegat alicui quamdam causam sub certa forma definiendam, et postmodum emergat simile negotium, poterit etiam hoc sub eadem forma licite definiri. Archidiaconus in can. *Ignorantia*, dist. 38, numer. 4; Felinus, loc. cit. numer. 1, et alii. Idque desumitur ex can. *Licet* 16, quæst. 3, ubi Gelasius papa, de tali rescripto loquens,